

CENTAUREA ACUTANGULA Boiss. et Reut. (Sect. *Mesocentron*.)

C. monocarpica, brevissimè et obsoletè hirtula asperula, caule erecto acutè angulato-striato paulò suprà medium dichotomè et divaricatim ramoso corymboso, foliis radicalibus confertis lyrato-pinnatipartitis segmentis oblongis obtusis basi sæpè confluentibus versùs basin folii diminutis terminali multo majori ovato, foliis caulinis et ramealibus præter infima pinnatilobata e basi amplexicauli linearibus acutiusculis vel obtusis mucronulatis indivisis, pedunculis apice subincrassatis brevibus, bracteis linearibus capitula involucrantibus, involucri ovati squamis adpressissimis viridibus glabriusculis oblongis ciliis brevibus albis et apice spinulis nigricantibus marginatis spinâ terminali squamâ ipsâ longiori subulatâ flosculos subæquanti, flosculis roseis marginalibus radiantibus, achæniis.....

Var. β —spina terminalis multò minor cæteris tantum duplò major.

Hab. in Africâ boreali circà *Algeriam* Bové, 1838, n° 170, in argilloso-subsalsis circà *Oran*, *Miserghin*, *Mers el Kibir* et inter *Oran* et *Tlemsen*. (Boiss. et Reut.) Var. cum specie quâcum intermediis formis confluit.

Planta $\frac{1}{2}$ -pedalis divaricata corymbosa ramis pedunculisque centralibus brevioribus, capitula magnitudinis *C. dilutæ* et *C. napifoliæ* quibus habitu affinis est sed a quibus involucri squamis omninò differt. Propè *C. fuscata*m collocanda quæ egregiè differt radice perenni, foliis caulinis latioribus, flosculis lutescentibus non radiantibus.

Thlipsocarpus Bæticus Kunze Chlor. Hisp., pag. 512 est *Hyoseris radiata* L. amiciss. auctore ipso in litt. monente.

THRINCIA TINGITANA Boiss. et Reut.

Th. perennis, radice crassâ verticali apice multicipiti, foliis indumento densè velutino-asperulo brevi pilis apice furcatis constanti obsitis oblongo-lanceolatis obtusè sinuato-dentatis pinnatilobatisve e parte superiori latiori ad basin usquè sensim in petiolum attenuatis, scapis pilis patulis furcatis obsitis, involucri phyllis lineari-lanceolatis medium versùs præsertim pilis furcatis obsitis, flosculis exterioribus subtùs atro-violaceis, achæniis striatis aculeolatis exterioribus incurvis aliis erostratis pappo coroniformi superatis aliis in stipitem eis æquilongum attenuatis, achæniis interioribus rectis, omnium pappo 10 plumoso pilis accessoriis minimis interjecto.

Hab. in arenis maritimis propè *Tingidem*. (Boiss. et Reut.)

Species propè *Th. hispidam* Roth. collocanda quæ quoque pappo 10 plumoso gaudet sed habet radicem annuam, indumentum setis rarioribus longioribus constans setosum nec breviter velutinum, achænia exteriora longiùs rostrata.

Th. Maroccana Pers. a pluribus auctoribus *Th. hispidæ* associata ab eâ evidentissimè differt stipite achænio quadruplò longiori, pappo ut in *Th. hirtâ* 15-20 nec 10-plumoso, achæniis exterioribus rectiusculis supernè valdè attenuatis, et insuper ligulis exterioribus extùs pilis strigosis præditis.

Th. tuberosa DC. achæniis brevissimè rostratis, pappo caducissimo e setis 20 et ultrà in annulum interse coadunatis constanti distinctissima est, et in *Th. hispidam* Roth. ut vult Cl. Mérat Ann. Sc. Nat. transire nequit!

PICRIS LONGIFOLIA Boiss. et Reut.

P. perennis, caulibus erectis virgatis tenuibus sæpè rubellis setulis patulis elongatis albis fragilibus sparsis obsitis foliosis supernè parcè ramoso-corymbosis, foliis radicalibus angustè lanceolatis longis acutis repando-subdentatis infernè longè attenuatis in petiolum eis æquilongum vel longiorem abeuntibus, caulinis brevioribus lanceolatis basi sessili minimè amplexicaulibus omnibus parcè setulosis, pedunculis vix incrassatis obsolètè striatis, capitulis parvis, involucri phyllis farinaceo-pulverulentis angustè lineari-lanceolatis acutis exterioribus paucissimis adpressiusculis dimidiò brevioribus, flosculis marginalibus subtùs purpureis, achæniis transversè rugulosis pallidè brunneis pappo niveo eis sesquilongiori terminatis exterioribus incurvis.

Hab. in dumosis *Sierra Nevada* in regione alpinâ circà *San Geronimo* (Reuter). Fl. Julio.

Bipedalis, folia inferiora cum petiolo 6-8 pollices longa 4-6 lineas lata, capitula eis *P. hieracioidis* minora. Ab eâ facilè differt radice perenni nec bienni, foliis angustioribus minùs dentatis longiùs petiolatis, caulinis nunquàm amplexicaulibus, involucri phyllis angustioribus exterioribus non squarroso-patentibus, flosculis marginalibus non concoloribus, pedunculis non incrassatis, tandem indumento totius plantæ minùs aspero.